





QUIBUS FONTIBUS

PLINIUS IN ARTIFICUM HISTORIA USUS SIT

INVESTIGAVIT

IULIANUS DALSTEIN.

METIS
TYPIS EVEN FRATRUM et SOC.
MDCCCLXXXV


SIGILLVM · VNIVERSITATIS · CALIFORNIENSIS
FIAT LVX
MDCCCLXVIII
EX LIBRIS
768 S
D15

QUIBUS FONTIBUS

PLINIUS IN ARTIFICUM HISTORIA USUS SIT.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM HERBIPOLENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

IULIANUS DALSTEIN.

METIS

TYPIS EVEN FRATRUM et SOC.

MDCCCLXXXV.

Qui Plinii fuerint fontes in artificum historia, nemo eorum, qui ad hunc diem in ea quaestione inquirenda versati sunt, ita videtur demonstrasse, ut omnem ex animis dubitationem tolleret novisque indagationibus locum non relinqueret. Quae cum ita sint, suadente et hortante Urlichsio, qui vir et ingenio et doctrina praestat, ego quoque ad eam solvendam statui pro viribus aliquantum conferre. Huius laboris mei fructum hac dissertatione exposui.

Sed, priusquam rem ipsam aggrederer, haud inutile esse duxi et supplere quae C. B. Starkius de studiis in eam collatis praebet (Systematik und Geschichte der Archäologie der Kunst, Leipzig, 1880, S. 375) et indicare, quid ei, qui ante me operam ei rei navaverunt, assecuti esse sibi viderentur. Et primus quidem C. G. Heynius eam quaestionem, de qua agitur, tractandam suscepit ac primum historicis Graecis (cf. Opusc. Acad. tom. V. p. 366), deinde Nepoti (vgl. Antiquar. Aufs. II. St. S. 97) artificum vitas tribuit. Post eum Adolphus Briegerus opusculo, quod inscribitur: De fontibus librorum XXXIII, XXXIV, XXXV, XXXVI, Naturalis Historiae Plinianae, quatenus ad artem plasticam pertinent, Gryphiae, 1857, alia aliis fontibus, Varroni Nepoti Muciano, Pasiteli Graecis auctoribus, similibus vindicavit. Hunc excepit Theodori Schreiberi disputatio: Quaestionum de artificum aetatibus in Plinii N. H. libris relatis specimen, Lipsiae, 1872, in qua e Varroniana artis historia Plinium ea sumpsisse, quae de artibus tradit, demonstrare conatus est. Henricus

Brunnius autem ea argumenta, quibus ille sententiam tuitus erat, parvi faciens cum putaret alia quadam via quaestionem esse solvendam, Nepotem sibi persuasit primarium fuisse Plinii auctorem (Sitzungsberichte der philosophisch-philologischen und historischen Classe der k. b. Akademie der Wissenschaften zu München: Cornelius Nepos und die Kunsturtheile bei Plinius, Jahrgang 1875, B.I, S. 311 ff.). Quamquam ne huius quidem sententia omnino est probata. Nam Adolfus Furtvaenglerus Nepotem nisi in XXXV. libro non in usum esse vocatum existimavit (Jahrbücher für classische Philologie: Plinius und seine Quellen über die bildenden Künste, neunter Supplementarband 1877—1878, S. 3), Urlichsius fundamento carere opinionem Brunnii iudicavit. (Die Quellenregister zu Plinius letzten Büchern, Würzburg, 1878, S. 17). Denique Gustavus Oehmichenus artificum lexicon, quod vocant, a Varrone profectum Plinium adhibuisse suspicatus est (Plinianische Studien zur geographischen und kunsthistorischen Literatur, Erlangen, 1880).

Neque illud est omittendum, qui fuerint illi artifices quibusque Naturalis Historiae partibus eorum historia contineatur. Habemus igitur caelatores (XXXIII, 154—157), statuarios (XXXIV, 49—93), pictores (XXXV, 15—16; 53—120; 122—148), plastas, ut ipsius Plinii verbo utar (ibid., 151—152; 154—157), scalptores (XXXVI, 9—43).

De ordine autem in hac disputatione servando primum demonstrabitur exquisitum quendam auctorem in eis partibus a Plinio esse adhibitum, deinde, quid primario illi fonti, quid aliis videatur tribuendum, ostendetur.

Caput I.

Sectio I. **A**). Graecis auctoribus idque nullo intercedente Romano debentur pleraque eorum, quae artificum historia continentur. Quod demonstrare incipientes quodnam melius quam ipsius Plinii testimonium afferre possumus? Is igitur pictorum

descriptionem his ingreditur (XXXV, 54): *„Non constat sibi in hac parte Graecorum diligentia multas post olympiadas celebrando pictores quam statuarios ac toreutas primumque olympiade nonagesima.“* Quibus verbis haud scio an non apertius dicere potuerit: a Graecis scriptoribus, quorum omnino laudanda esset diligentia, profecta esse ea, quae in XXXIII. et XXXIV. libro de caelatoribus (§§ 154—157) et statuariis (§§ 49—93) tradidisset; qui Graeci cum in eo tantum essent reprehendendi, quod falso sibi persuasissent ante XC. olympiada nullum exstitisse pictorem celebrem, ex eisdem esse depromenda ea, quae inde ab eo tempore de pictoribus essent memoranda; a Graecis manasse haec, a Romanis illa. Neque dicat quis Graecorum illorum libros Plinium intercedente Romano auctore adhibuisse. Nam eius verba sunt intellegenda, prout sonant. Quam ob rem, cum solos Graecos nominet, solos Graecos, quin de Romano possit cogitari, in usum vocatos putandum est, immo, si Graecis illis adnumerandus esset scriptor Romanus, maiorem negligentiae culpam in se admisisset Plinius quam ei, quos vituperat. Deinde ex eis verbis, quae modo attulimus, patet ea, quae inde a XC. olympiade, id est, inde a § 60 narrantur, eis opponi, quae in §§ 54—59 traduntur, id quod et aliqua sermonis differentia inter utramque partem exstante suspicari licet et particula autem aperte exprimitur. Iam vero cum a Graecis non sint profecta, nisi quae inde a § 60 memorantur, sequitur, ut paragraphi 54—59 ad Romanos, sive unus fuit adhibitus, sive plures, sint referendi. Quae cum ita sint, si Graecorum libros Romani auctoris opera ad Plinium pervenisse iudicaverimus, Romano inde a § 60 adhibito Romanum in §§ 54—59 in usum vocatum opponi erit dicendum. At nemo est, quin videat, quantum illud a communi sensu abhorreat. Praeterea Romanus ille scriptor, qui, si vera esset sententia, quam impugnamus, ea Plinio tradidisset, quae inde a XC. olympiade Graeci de pictoribus memoraverunt, haud secus atque Graeci, quos exscripsisset, dignus fuisset, qui, quod pravum eorum exemplum esset secutus, vehementer vituperaretur. Romanum igitur auctorem

Graecorum libros exscripsisse exscriptosque Plinio tradidisse prorsus dici nequit. Alio quidem modo Urlichsius ea verba, de quibus loquimur, interpretatur. Qui cum apud Plinium (XXXV, 58) legisset: *Quin immo certamen etiam picturae florente eo* (Panaeno) *institutum est Corinthi ac Delphis primusque omnium certavit cum Timagora Chalcidense, superatus ab eo Pythiis, quod et ipsius Timagorae carmine vetusto apparet chronicorum errore non dubio*, ex chronicis illis pictorum descriptionem fluxisse iudicavit (Chrestomathia Pliniana, l. l.). Sed, ut illud, quod de Ecphanto, Damarati comite, Cornelius Nepos tradit (XXXV, 16) ex eo fonte, quem in manibus habebat, Plinius exscripsit (cf. infra, p. 29), ita Chronicorum illorum, quidquid sunt, falsum indicium nisi per eum librum, quem adhibuit, cognovit, quo dicendi genere tum videtur libenter esse usus, cum erroris cuiusquam in fontibus mentionem aliquam reperiebat (cf. VI, 83; IV, 114; XXVII, 176: XXXIII, 58). — Praeclare illa paragraphi 54 verba confirmantur eis, quae alibi reperimus. Sunt autem haec: *Artifices, qui compositis voluminibus condidere haec, miris laudibus celebrant Telephanen Phocaeum ignotum alias, quoniam in Thessalia habitaverit, et ibi opera eius latuerint, alioqui suffragiis ipsorum aequatur Polyclito, Myroni, Pythagorae. Laudant eius Larisam et Spintharum pentathlum et Apollinem. Alii non hanc ignobilitatis fuisse causam, sed, quod se regum Xerxis et Darii officinis dediderit, existimant* (XXXIV, 68). Quae ut intellegatur, quam late pateant, ad haec est attendendum. Enumerat Plinius celeberrimos statuarios, dico Phidiam, Polyclitum, Myronem, Pythagoram, Lysippum haud ita paucis referens et quae ad artem et quae ad opera spectant (§§ 54—67). Quo facto ad Telephanen transiens memorat artifices quosdam, e quorum libris ea omnia fuerint desumpta, ut ipsius Plinii verba proferam, *qui haec condidere*, miris eum laudibus extulisse, celeberrimis aequavisse statuariis etc. pergitque describere ea, quae interposita paragrapho 68 interruperat. Iam illud *qui haec condidere* num aliud indicare potest nisi artifices quosdam esse auctores, e quibus quae de statuariis narrantur manaverunt? Quodsi requirimus,

qui fuerint, num de aliis est cogitandum ac de eis, qui et indicibus continentur et aliunde merentur nomen artificum? Hi autem suntne Romani an Graeci? Nisi forte Varro, Nepos, alii artificum in numero sunt pronendi. Quae si perpendimus, fieri non potest, quin cum alii, tum praecipue Menaechmus, Antigonus, Xenocrates, Pasiteles et inter artifices laudati (XXXIV, 80, 83, 84; XXXIII, 156; XXXVI, 35, 39) et in fontium externorum numero positi (cf. indices librorum XXXIII—XXXVI; XXXIV, 80, 83, 84; XXXV, 68; XXXVI, 39) mentibus occurrant. Ipsius igitur Plinii testimonio docemur Graecos auctores nullo intercedente Romano esse adhibitos.

Haud parum corroboratur huius argumenti vis Graecis et vocabulis locutionibusque et epigrammatis in tota fere oratione recurrentibus. Ac Graeca quidem vocabula locutionesque si consideraveris et complura esse et omnibus artificum historiae partibus reperiri, nisi Graecos fontes ab ipso Plinio excerptos admiseris, explicare vix poteris. Nam, etsi per se fieri potuit, ut nisi Romani cuiusdam opera e Graecis scriptoribus non manarent, non est prius ad eam transeundum sententiam, quam certa quadam ratione ita se rem habere demonstretur. Iam vero verborum illorum duo videntur genera esse distinguenda: unum eorum, quae quamvis perraro ante Plinium sint adhibita, tamen nonnunquam apud eos scriptores, qui prius fuerant, reperiuntur; alterum eorum, quae, cum primum a Plinio sint in usum vocata, prorsus apta esse videntur, quae verum esse id, quod contendimus, ostendant. Sunt autem illa: in libro XXXIII. emblema (156); in XXXIV. colossicon (54), doryphorus (55, 56), canon (55), citharoedus (59), symmetria (58, 65), canephoros (70), pancration (79), epistates (82), comoedus (87); in XXXV. graphis (68), thyrsus (74), ethe (98), propylon (101), parerga (101), opsonia (112), apographon (125), typus (128), necyomantea (132), aconiti (139), psaltria (141). — Haec autem sunt: in libro XXXIV. cliduchus (54), diadumenus (55), astragalizontes (55), periphoretos (56), discobolos (57, 80), pentathlus (57, 72), prista (57), pancratiasta (57), sta-

diodromos (59), dicaeus (59), catagusa (69), periboetos (69), stephanusa (70), pseliumene (70), sauroctonos (70), encrinomenos (72), Philesius (75), celetizontes (75, 78), colossaeus (78), cliticon (78), bathytes (79), epithyusa (80), splanchnoptes (81), eucnemon (82), perixyomenus (86, 87), catatexitechnus (92); in libro XXXV.: Thressa (70), hoplites (71), habrodiaetus (71), graphice (77), pallaca (86), anadyomene (87, 89), bronte (96), astrape (96), ceraunobolia (96), anapauomene (99), poppizon (104), anapauomenos (106), rhyparographos (112), anthropographos (113), gryllus (114), hemeresios (124), stephanoplocos (125), stephanopolis (125), syngenicon (134, 143), ocnos (137), aposcopeuon (138); in libro XXXVI.: symplegma (24, 35), lampteres (25), hippocampus (25), pteron (30, 31) — His vocabulis nonnullas Plinio proprias locutiones adiungimus, quas, quia vel a consueto sermone Latino recedunt, velut in operibus participio vel infinitivo quasi nomine substantivo designatis vel vago eo ineptoque sensu, quem praebent, suspicionem movent Plinium non intellexisse, quid eo opere, quod describeret, repraesentaretur, minus accurata translatione e Graeco sermone in Latinum exortas esse arbitramur: claudicans (XXXIV, 59), destringens se (ib., 62), digitis computans (ib., 88), supplicans paene cum voce (XXXV, 99), clypeo dimicans (ibid., 130), erumpens (ibid., 144), [cf. ἀποξυόμενος, ἐπιθύουσα, κατάγουσα, ἀστραγαλίζοντες, διαδούμενος, στεφανοῦσα, ψελιουμένη, ἐγκρινόμενος, κ. τ. λ., quae modo attulimus]; Apollinem serpentemque sagittis configi (XXXVI, 59), ab Oreste matrem et Aegisthum interfici (XXXV, 144), puer (παῖς, vgl. Furtwaengler, S. 44) flagellum tenens (XXXIV, 59), flentes (Furtwaengler, S. 47), matronae (ibid. 86), mulier admirans (XXXIV, 78, ἀποβλέπουσα; Furtwaengler, S. 46), puella (Κόρη, XXXV, 147. Furtwaengler, 48; Brunn, Geschichte der griechischen Künstler, II, S. 299), Iphigenia celebrata laudibus oratorum (XXXV, 73; ῥητόρων; vg. Urlichs QR., S. 15, A**). — Negat quidem Furtvaenglerus (S. 39) a Graecis operum nominibus concludi posse Graecos fuisse fontes, e quibus oriantur; talia Romae fuisse usitata Romanae

plebis exemplo ἀποξυόμενον flagitantis (XXXIV, 62) probavisse sibi visus est. Sed fefellit doctum virum unius eximii signi a Lysippo, praestantissimo artifice, confecti, quod ante Thermas dicatum omnium vel praetereuntium vel introeuntium oculos in se convertebat, unius igitur illius signi Graecum nomen minime mirum esse, si plebs Romana, insolitarum rerum avida, eius signi aspectu nescio quo pacto delectata memoria retinuerit ac vulgo usurpaverit; eandem reliquorum operum Graeca nomina non modo non in promptu habuisse, verum etiam, ne num essent quidem, cognovisse. — Epigrammata quoque Graeca (Latina quaedam Domitio Marso Urlichsius haud immerito tribuit, QR. p. 11. f.), quibus haud pauca laudatorum operum illustrantur, silentio non sunt praetereunda. Neque tamen in eis enumerandis morabimur, cum iampridem Iahnius (Berichte über die Verhandlungen der königlich sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften zu Leipzig, Philologisch-historische Classe: Ueber die Kunsturtheile bei Plinius, zweiter Band 1850, S. 118) et Benndorfius (De Anthologiae Graecae epigrammatis, quae ad artes spectant, Lipsiae, 1862, p. 52) hoc curaverint. Illud vero monendum esse censemus non ipsum Plinium ea collegisse «neque e diversis poetarum editionibus neque e «vasta Meleagri corona, cum quia aliis disquisitionibus erat « intentus et de artificum artisque historia raptim acturus, « tum quia reliquis fontibus in indicibus diligenter recensitis « solam Meleagri coronam misere non neglexisset» (cf. Bendorfium, l. l. p. 57).

Iam, ut ad alterum idque praecipuum huius partis argumentum veniamus, statuimus cum ex ipso Graeco fonte aliquo fluxisse statuariorum indicem chronologicum (XXXIV, 49—52), tum ex eodem manavisse reliquam artificum descriptionem. Ac primum Graeco fonti, qui ipse est a Plinio exscriptus, statuariorum index debetur. Quod ut facilius percipiamus, eum locum, in quo tota videtur niti argumentatio, oculis subiicere libet: *Maior pars eorum* (quorum circa aes Corinthium adfectatio furit) *simulare eam scientiam videtur*

ad segregandos sese a ceteris magis quam intelligere aliquid ibi suptilius, et hoc paucis docebo. Corinthus capta est olympiadis CLVIII anno tertio, nostrae urbis DCVIII, cum ante secula fictores nobiles esse desissent, quorum isti omnia signa hodie Corinthia apellant. Quapropter ad coarguendos eos ponemus artificum aetates. Nam urbis nostrae annos ex supra dicta comparatione olympiadum colligere facile erit (XXXIV, 6—7). Atque qui haec scripsit, manifestum est eum aetates solis olympiadibus indicatas in fonte repperisse. Quod nisi ita esset, quod non annis ab urbe condita uteretur, excusationes, ut ita dicam, legentibus afferre non videretur, eis, id quod a communi sensu prorsus abhorret, et comparandi centesimam quinquagesimam octavam olympiada cum sexcentesimo octavo urbis anno et inde pro unaquaque aetate ex olympiadibus annos urbis colligendi onus non imponeret. Solas igitur olympiadas, non annos ab urbe condita Plinio praebuit fons ille, e quo manaverunt artificum aetates supra dicto loco promissae, in paragraphis 49—52 enumeratae. Iam vero Graeci scriptoris fuit fons ille, non Romani. Plinius enim, cum, quod olympiadibus indicaret statuariorum aetates, se excusaret, si Romanum exscripsisset auctorem, hac prima debebat uti excusatione: in Romano illo auctore aetates non alio modo atque olympiadibus fuisse indicatas. Sed fingamus Romanum intercessisse: de solo Varrone aut Nepote habemus, quod cogitemus. At utrumque annos ab urbe condita adhibuisse (conf. Gellium, XVII, 21), propriam in eis computandis rationem secutos esse nemo nescit neque ulla causa fuisse putanda est, cur in artificibus tractandis a consueta ratione recederent. Quae cum ita sint, dubitare non possumus, quin ex ipso Graeco fonte, non e Romano Plinius aetates illas sumpserit. — Restat, ut demonstremus ex eodem fonte fluxisse reliquam artificum descriptionem. Atque aetates quidem artificum in eis N. H. partibus, quibus operam damus, relatas ex eisdem fontibus atque statuariorum indicem profectas esse nemo erit, qui infitietur, si secum reputaverit et in indice et in eis paragraphis, quibus quisque tractatur, prorsus eandem rem eodem modo indicari, dico id tempus,

quo quisque floruerit: ut Euphranoris (XXXV, 129), Aetionis et Therimachi (XXXV, 78). Quamquam non aetates solum, verum etiam reliqua et statuariorum (XXXIV, 53—93) et pictorum (XXXV, 60—148) et caelatorum (XXXIII, 154—157) descriptio maximam partem ab eodem fonte manaverunt. Quam recte docet Schreiberus cum aetatibus illis cohaerere, quippe in qua et eodem ordine atque in indice Polyclitus, Myron, Pythagoras cum tractentur (XXXIV, 55, 57, 59), tum § 68 nominentur, et neque in descriptione neque in indice commemoretur Phidiam Hageladae discipulum fuisse haud secus atque illos, et de omnium aetatibus similiter sit erratum (cf. l. l. p. 17). Neque tamen est, cur ad minutissimas illas res confugiamus, cum ab ipso Plinio audiamus a Graecis auctoribus non solum allatas esse artificum aetates, verum etiam artifices ipsos esse tractatos. Dicuntur enim celebrati esse statuarii pictores toreutae (XXXV, 54). Plinius autem, quid hac celebrandi voce intelligi velit, ipse perhibet loco (XXXIV, 68), supra allato (p. 6), ubi Telephanem Phocaeum ita celebratum esse videmus, ut quamquam ignotus erat alias, quoniam in Thessalia habitabat et ibi opera eius latuerunt, ab artificibus Polyclito, Myroni, Pythagorae aequaretur, et ex operibus eius tria laudarentur, Larisa, Pentathlus, Apollo. Tria igitur huic vocabulo subesse videntur: quaedam ad artificum vitam pertinentia narrantur, conferuntur inter se artifices, eorum opera laudantur, id quod in his N. H. partibus fieri constat. Idem vel inde patet, quod in caelatoribus, quippe qui haud secus atque statuarii celebrati esse putandi sint (XXXV, 54), nulla, quae olympiade designetur, aetas memoratur. Ita probavisse propositum mihi videor: Graecis auctoribus deberi pleraque earum rerum, quae artificum historia continentur. Iam illi Graeci quinam fuerint, tam manifesto declarant et indices librorum, de quibus agimus, et eorundem librorum loci quidam, ubi nonnunquam laudantur (XXXIV, 80, 83, 84; XXXV, 68, 79, 129; XXXVI, 39), ut sola nomina proferre sufficiat. Sunt igitur Pasiteles, Antigonus, Menaechmus, Xenocrates, Duris, Menander, Heliodorus, Apelles, Melanthius, Asclepiodorus, Euphranor, Parrhasius.

Hic monendum puto me, cum pleraque, non omnia, quae de artificibus traduntur, Graecis scriptoribus deberi supra dicerem, in animo habuisse nonnulla excipere, quae omnino non possunt ex eorum libris fluxisse, velut quae ad Romanorum imperatorum tempora pertinent, vel ad opera, quae in templis post Graecos illos auctores aedificatis dicuntur esse collocata. Haec Plinius e Romanis scriptoribus inseruit eis, quae a Graecis exscripsit (cf. II).

Sequitur altera quaestio, ipsa quoque gravissimi momenti, quam si contigerit, ut ad exitum perducamus, facilius eruentur quae ad reliquos fontes sunt revocanda, uberrimus in eam disciplinam fructus redundabit, qua veterum artificum quae supersunt opera tractantur. Quae sic se habet: Graecorum auctorum libros, quae artificum historiae quasi fundamenta esse modo probavimus, ipsosne Plinius inspexerit, an in unius ex eis auctoribus libro exscriptos invenerit?

Quo plures docti viri eam quaestionem attingunt, eo saepius in medium profertur coniectura Graecorum illorum commentarios nisi in unum collectos non esse adhibitos (vgl. Brunn. SB. 312; Oehmichen, a. a. O. 111; v. Wilamowitz-Moellendorf: Philologische Untersuchungen, Band IV. Antigonos von Karystos, 7). Quae coniectura nobis est argumentis firmanda. Atque, ut ab indicibus ordiamur, in XXXIII. libro septem referuntur auctores, qui de rebus ad artem pertinentibus egisse putandi sunt: Pasiteles, Antigonus, Menaechmus, Xenocrates, Duris, Menander, Heliodorus. Itaque nihil magis est consentaneum quam magnam eius libri partem putare in exponendis vel operibus vel artificum vitis versari. Sed tantum abest, ut de eis copiose agatur, ut non amplius quattuor paragraphi eaeque non totae ad caelatores spectent. Propterea tam paucis rebus traditis eisque optime sese excipientibus, saltem in §§ 154—156, tam multos scriptores singulos quidquam contulisse minime veri est simile. Quid, si ex auctoribus unum omnino non potuisse adhiberi demonstratur? Heliodorus quidem nisi Atheniensium anathemata, immo, si idem habendus est atque ille, quem

περὶ ἀκροπόλεως scripsisse Athenaeus tradit (IX, p. 406, c), id quod ad veritatem proxime accedit (cf. Briegerum l. l. p. 33), nisi in Atheniensium arce collocata opera in libro suo non complexus est. Quid igitur sequitur? Nempe, ut in eo N. H. libro, cuius in indice nomen eius refertur, Atheniensium anathematum vel minima sit mentio facta. Quod si exspectamus, vehementer spe decipimur. Nullum indicium, ne vestigium quidem ullius rei apparet, quod ad Athenas referri possit. Romanis rebus liber fere totus est refertus; de Graecis admodum pauca, de Atheniensibus ne verbum quidem commemoratur. Verum enimvero omnino necesse est, ut is liber, quem fontem fuisse declaret index aliquis, a quo autem aliunde constet nihil esse sumptum, non sit ipse inspectus, sed ab alio quodam auctore una cum nomine eius, qui composuit, exscriptus. — Iam vero de toreutis egit Menander (cf. indicem libri XXXIII.). Hos Oehmichenus, quia vox toreutices plasticam artem generatim sumptam designat, plasticos artifices intelligit (vgl. S. 193). Sed praeterquam, quod ipse Plinium fatetur in designando artificum genere sibi non constare (ibid.), non videtur animadvertisse primum omnino supervacuum fieri statuariorum vocabulum in XXXV. libri § 54, quippe qui toreutis continerentur, deinde Plinium videri secernere eos, quos tractavit, h. e. statuarios (l. XXXIV), caelatores [toreutas] (l. XXXIII), ab eis, quorum descriptionem in XXXV. libro est initurus, denique prorsus immerito Menandrum, toreutarum fontem, in librorum XXXIV. et XXXVI. indicibus esse omissum, cum toreutis continerentur statuarii et scalptores. Itaque cum Menander de toreutis egerit, quibus significantur caelatores, Menandro pleraque earum rerum, quae de artificibus illis narrantur, vindicare possumus. Quod si fecerimus, prope nihil remanebit, quod ceteri conferre potuerint. — Age vero XXXIII. libri indicem confer cum insequentis libri indice: iam praeter inversum Antigoni Menaechmique ordinem omissumque Menandrum cetera prorsus consentire videbis. Sed Brunnii, quae dicitur, lege scimus Plinium eodem ordine, quo in componendis libris usus esset, auctores etiam

in indices rettulisse; auctoribus exquisitis, si quos libros exscripsissent, quos ipse quidem non adiisset, sed tamen indicare voluisset, saltem nomina eorum, qui confecissent, vel primum vel ultimum in enumerandis eis omnibus locum dedisse (Brunn: De auctorum indicibus Plinianis disputatio isagogica, Bonnae, 1856, p. 1). Itaque cum diversi artifices diverso modo tractati sint, in XXXIII. libro caelatores admodum paucis (§§ 154—157), compluribus statuarii in XXXIV. libro (49—93), si singulorum libri fuerunt inspecti, necesse fuit, ut prorsus diverso ordine in indices referrentur. Quod cum aliter se habeat, ceteros ex uno quodam exscriptos esse dicemus.

Haec cum dissererem, Detlefsenum indicis eius postremorum quinque nominum fidem in dubium vocasse (Philologus, B. XXVIII., S. 709), quattuor uncis inclusisse (C. P. Secundi naturalis historia, vol. I. p. 64), ut omnia delerentur, monuisse (Philologus, XXVIII, 709) non ignorabam. Sed perpendens, quibus rationibus motus mutationes illas proposuerit, in eius sententiam ut concedam, non adducor. Menandri quidem et toreutarum vocabula, quas lectiones optimi codices V et *a* praebent, Menaechmo et toreutice dittographia, quam vocant, orta esse putat. Qua in re etsi negari non potest fieri potuisse, ut Menaehmus prave in Menandrum mutaretur, tantam fuisse librarii neglegentiam, ut in exscribendis vocibus non modo Menaechmi verum etiam toreutices erraret, quis sibi persuadeat? Coniicientem praeterea Detlefsenum nomina illa ex insequente libro in hunc indicem irrepsisse ita redarguimus, ut dicamus propterea id nobis minus probari, quod in uno medium, in altero ultimum locum obtinent. Sed de auctoribus, quibus debeatur caelatorum descriptio, cur codicum auctoritatem tanti faciamus, cum, quinam fontes in eo indice relati sint vel in eum fuerint referendi, manifesto Plinius alio loco declaret? Nam, cum auctores suos laudet, quod eandem in tractandis caelatoribus diligentiam adhibuerint atque in statuariis (XXXV, 45), eosdem prorsus fontes sibi praesto fuisse et in statuariis et in caelatoribus aperte profitetur. Quae cum ita sint, quidquid exhibent codices de caelatorum

fontibus, certo scimus, quorumnam auctorum nomina in XXXIII. libri extremo indice praebere debeant, dico nomina eorum scriptorum, quibus ex indice libri XXXIV. vindicanda sunt ea, quae de statuariis memorantur. In quibus cum numerentur Xenocrates, Duris, Heliodorus, optimo iure eorum nomina in libri XXXIII. indice ponere atque in ea, quam hoc ipso indice veram esse demonstrare conati sumus, sententia perseverare possumus.

Vidimus modo eosdem fuisse fontes librorum XXXIII. et XXXIV. in describendis statuariis ac caelatoribus. Nihil igitur obstat, quo minus Menandrum in tractandis statuariis adhibitum esse putemus. Quod cum cogitare possimus, certum autem sit in XXXIV. libro nihil a Menandro, quippe qui de toreutis (caelatoribus, cf. p. 13) egerit (cf. indicem libri XXXIII.), esse sumptum, sequitur Menandrum nisi alio intercedente non in usum esse vocatum. Praeterea in XXXV. libro illud forte mirum videatur, quod in indice omissi Antigonus Xenocratesque in § 68 huius libri laudantur. Dicemusne aut Plinium in indicandis fontibus fuisse neglegentem aut scriptorum illorum nomina in indice librariorum culpa excidisse? Minime vero cum contra aperte profiteatur ille nihil se antiquius habuisse, quam ut omnes, quos adhibuisset, auctores patefaceret (cf. N. H. praefationem, 21), codicum autem depravationis in eo libro, de quo agitur, ne minima quidem suspicio oriatur. Prorsus evanescet difficultas, si Antigoni Xenocratisque iudicia de Parrhasio prolata Plinio per alium cognita esse putaverimus.

Hactenus indicibus vel solis vel cum eis libris, ad quos pertinent, collatis constituimus Plinium Graecorum auctorum commentarios non ipsum in manibus habuisse, sed in unius cuiusdam scriptoris opere collectos invenisse. Idem ex nonnullis locis, quos exhibet Pliniana artificum historia, erui potest. Ac Xenocratem Antigonumque postquam cognovimus de toreutice vel, quod ab eo non differt, de sua arte scripsisse, quae hoc loco est ars statuaria, en picturae quoque operam dedisse comperimus (XXXV, 68). Quid ergo est? Num, qui libros suos essent lecturi, eos

Plinius decipere voluit? Quod cum prorsus existimari nequeat neque causa excogitari possit, cur, si auctorum illorum commentarios ipse in manibus habuisset, minus accurate de eis esset locutus, superest, ut dicamus eius menti non obversatam esse nisi confusam aliquam cogitationem earum rerum, quas illorum libris contineri veri simile esset; ita factum esse, ut scriptores illos ex eis, quae e commentariis eorum sumpsisset, partim de toreutice, partim de pictura egisse declararet. — Iam ad gravissimum illud indicium, quod de fontibus suis protulit, revertamur. Graecorum diligentia in describendis pictoribus non sibi constitit (XXXV, 54). Fuerunt ergo in aliis artificibus tractandis diligentes. Quaerentibus autem, quibusnam artificibus tractandis diligentiae laudem meruerint, respondet Plinius eodem loco: cum de statuariis ac toreutis agerent. Omnes igitur Graeci auctores in celebrandis et caelatoribus et statuariis et pictoribus versati sunt, idque ita, ut et, qua quisque floruisset olympiade, indicarent et illustrium pictorum initia serius statuerent. Quae cum ita sint, nisi existimatur unus scriptor reliquorum omnium libros de arte exscripsisse exscriptosque Plinio tradidisse, vide, quid sequatur. Primum quidem dicendum est inter omnes quasi convenisse ut, non quandocunque praestantissimum opus esset confectum, sed, quo quisque tempore maxime in honore fuisset, memorarent. Quod quantum ab omni veri similitudine abhorreat, nemo est, quin videat. Neque magis existimari potest omnes illos auctores de statuariis toreutisque inde ab octogesima tertia olympiade egisse, de pictoribus cum ante nonagesimam olympiada nihil tradidisse, tum eorum initia in hac olympiade statuentes similiter erravisse. Verum enimvero, id quod imprimis est dignum, quod accurate perpendatur, omnes illos scriptores num veri simile est una et de toreutis et statuariis et pictoribus egisse? Num Menaechmo, Antigono, Xenocrati, Duridi, qui de toreutice scripserunt, (cf. indices librorum XXXIII. et XXXIV.), Menandro, qui de toreutis (cf. ind. lib. XXXIII.) ea, quae ad pictores pertinent, deberi credemus? Ses praeterquam, quod in indice libri

XXXV. desunt, quid Apelli Melanthio, Asclepiodoro Euphranori, qui de pictura volumina composuerunt (XXXV. 79, 129), superesset? An Apelli ceterisque quae de caelatoribus statuariisque narrantur vindicabimus? At ne ipsi quidem in indicibus eorum librorum leguntur, de pictura volumina composuerunt (XXXV, 79), de symmetria et coloribus scripserunt (ibid. 129). Quodsi putaverimus quae singuli diversa protulerunt in unius scriptoris opere fuisse collecta, ordine disposita, quas in complurium auctorum libris discrepantias fuisse necesse est, eas esse explanatas aut saltem indicatas, idque ita, ut sciret quidem Plinius, quosnam auctores hoc opus complecteretur, non semper tamen, quid ad quemque eorum pertineret, iam penitus tolletur omnis difficultas. — Denique in eiis partibus, quas tractamus, diversae nonnunquam Graecorum auctorum opiniones nobis occurrunt (XXXIV, 68; XXXV, 61, 101 bis, 125, 133, 137) quae, cum quam brevissimis verbis indicentur, merito suspicionem movent ipsas in exquisiti cuiusdam auctoris libro fuisse consignatas. His probavisse mihi videor Graecorum scriptorum libros non ipsos a Plinio esse inspectos, sed ab uno quodam ex illis collectos ei praesto fuisse.

Reliquum est, ut, quisnam fuerit auctor, a quo ceterorum libri exscripti sunt, videamus. Atque ei, quibus probantur quae supra disputavimus, ad Pasitelem hoc colligendi munus deferre non dubitabunt. Quamobrem paucis verbis opus erit ad illud demonstrandum. Ac primum quidem recentissimus omnium est Pasiteles, id quod Brunnius in eo auctore, qui aliorum scriptorum commentarios in suo libro complexus esse putandus sit, desiderat (SB. 312) neque iniuria. Deinde nullius ceterorum nomen legitur in omnium librorum indicibus, in quibus artificum historia tractatur (XXXIII—XXXVI); quo fit, ut ne levissimo quidem modo dubitandi, quin Pasiteles sit is auctor, quem quaerimus, locus relinquatur. Denique aut principem aut ultimum in artis scriptorum numero locum occupat: qua re etiam secun-

dum Brunnii legem supra memoratam (p. 13, sq.) apertissime significatur artis scriptores, quorum nomina vel ante vel post Pasitelis nomen in indicibus leguntur, nisi Pasitele intercedente non esse adhibitos. Ita efficitur, quod demonstrandum nobis proposueramus, Pasitelem solum fuisse Plinii auctorem primarium in artificum historia.

B). Iam vero idem illud verum esse apparebit, si quod sibi de artibus Plinius tradendum proposuit cum illis, quae Pasitelis voluminibus continebantur, comparaverimus. Atque nemo erit, qui infitietur Plinium, cum Naturalem Historiam scriberet, haud semper, quid in libros suos reciperet, praestituisse (Ross, Arch. Aufsätze II. s. 352 ff.), sed, ubi earum rerum de quibus esset agendum, imperitus erat, ad fontes, qui sibi suppeterent, sese accommodasse. Quae cum ita sint, quis Plinio, praesertim cum multis de causis a contemplatione operum arte conspicuorum abductus sit (XXXVI, 27), subtile de his rebus iudicium tribuat? Quamobrem nihil ei relinquebatur, nisi ut auctorem quaereret, quem in describendis artificibus sequeretur. Ita factum est, ut, cum nobilium operum quinque volumina a Graeco quodam eoque artifice praestantissimo, Pasitele, composita esse cognovisset, nobiles artifices et opera describere constitueret. Nam apertissime profitetur se in artificum historia nihil aliud sibi proposuisse quam insignia et aliqua de causa notata attingenda (XXXIV, 37), artifices celebratos nominandos (ibid.) insignes statuarios raptim transcurrendos (XXXIV, 53), celebres pictores quam maxima brevitate percurrendos (XXXV, 53), nobilitates operum et artificum sive in argento (cf. indicem rerum libri XXXIII.), sive in aere (ib., l. XXXIV.), sive in pictura, sive in plastice (ib., l. XXXV.), sive in marmore (ib., l. XXXVI.) indicandas. Accedit, quod nobilia dicuntur multa ex eis operibus, quae describuntur (Iahn, a. a. O. 124; Kékulé: Die Gruppe des Künstlers Menelaos, S. 14). Quamquam haec Furtvaenglero non probari non ignoramus sentienti hanc vocem «nobilis» Germanico illi, «berühmt», quod saepissime ac de omnibus

rebus adhibetur, respondere. Proinde ac si linguae Latinae nulla alia vox suppetat, qua Germanicum illud «berühmt» exprimi possit! — Hic paululum commorari liceat, ut de loco nondum satis explanato, quid mihi videatur, proferam. Quid sibi velint verba *reliqua multitudine passim dispersa* (XXXIV, 53), primo aspectu non liquet. Quod nisi ita esset, non apud Strackium (C. P. S. Naturgeschichte, Dritter Theil, S. 411) translata ea hoc modo legeremus «wobei ich von der übrigen grossen Zahl noch einzelnes einstreuen werde.» Perpensis autem quae modo disputavimus, dubitari non potest, quin in statuariis describendis huius reliquae multitudinis omnino nulla fiat mentio. Omnes enim artifices omniaque opera, qui in illis N. H. capitibus tractantur, ne eis quidem exceptis, qui *obiter* et *in aliorum mentione* referuntur (XXXV, 53) vel quorum nulla opera memorantur (XXXIV, 85), in nobilibus sunt numerandi. Quae cum ita sese habeant, significavit Plinius eis, qui libros suos essent lecturi, hanc reliquam multitudinem eis non contineri, sed esse passim dispersam.

Sectio II. Hactenus certis argumentis demonstravimus Pasitelem solum fuisse Plinio auctorem primarium. Hoc vel inde efficitur, quod duobus reliquis auctoribus, qui ad id tempus exquisiti fontes Plinii in eis partibus, quas tractamus, habiti sunt, Nepoti aut Varroni, aut nihil aut pauca debentur.

Nepoti Heynius primus praecipuum locum inter fontes artificum historiae tribuit (cf. supra, p. 3). Post eum Brunnius comparatis inter se Nepotis, qui dicitur, vitis virorum illustrium et eis N. H. capitibus, de quibus agimus, cum cognationem aliquam in utriusque scriptoris dicendi genere perspexisse sibi visus esset, ex illis vitis in hos libros translata esse ea, quae ad ingenium moresque artificum pertinerent, coniecit. Non tanti est eos locos, quos attulit, ordine perlustrare atque statuere, quid in eis sit simile, quid dissimile: qua in re ipse videtur veritus esse, ne similitudinem aliquam in eis locis inesse viri docti negarent, cum diceret praecipuum fructum eius comparationis, quam in-

stituisset, non hunc esse, quod collatos inter se locos prorsus similes esse iudicaret, sed quod in eis legendis ita animi nostri afficerentur, ut inclinarentur ad existimandum plurima ex eis, quae Plinius de artificibus tradit, ab auctore illius libri, qui «de excellentibus ducibus» inscribitur, esse profecta. Quamquam in eiusmodi rebus alius aliter afficitur. Quae lecta Brunnio multa communia inter se habere visa sunt eumque moverunt, ut multa ex eis, quae Pliniana artificum historia continentur, ab illis vitis fluxisse suspicaretur, ea tantum abest, ut Urlichsium eodem modo affecerint, ut etiam ad existimandum nihil inde colligi posse impulerint (QR., 17). Quidquid est, Brunnium sensu illo, quo in conferendis inter se libro de excellentibus ducibus inscripto et artificum historia Pliniana est affectus, in errorem esse inductum his est demonstrandum.

De auctore eius libri, qui de excellentibus ducibus exterarum gentium inscribitur, quam magna fuerit inde a Gifanio et Lambino controversia, nemo est, qui ignoret. Cuius Ungerus, vir in primis acutus, finem facere videtur (Abh. der k. b. Ak. der Wiss. I. Cl. XVI. Bd. I. Abth.: Der sogenannte Cornelius Nepos, 129). Is enim comparatis inter se Catonis Atticique vitis, quas Nepotis esse constat, et reliquis, de quibus diversae erant sententiae, cum vitiis, quae his inhaerent, tum sermonis diversitate has a Nepote esse alienas demonstravit. Cui Ungeri sententiae plures iam docti viri accesserunt (vgl. Literarisches Centralblatt, 1882, n. 8; Deutsche Literaturzeitung, 1882, No. 8). Quae cum ita sint, quid de Brunnii coniectura fiet, qua Nepoti multa sint vindicanda, quae artificum historia Pliniana continentur? Nam Hyginum, cui non sine veri quadam similitudine vitae illae exterorum ducum ab Ungero tribuuntur, Nepotis loco ponere ad eumque referre, quae ab illo profecta putabantur, vel eo, quod indicibus nomen Hygini non continetur, nulli in mentem veniet. Sed egregia Ungeri disputatione illud quoque docemur in Nepotis amisso opere, quod de viris illustribus inscribebatur (S. 139), non Graecos et Romanos, sed solos Romanos fuisse tractatos; vix enim

casu factum esse, ut et omnia vitarum fragmenta, viginti numero, ad Romanos pertinerent et Nepotis testimonium Plutarchus nisi in Romanorum ducum vitis non afferret (144). Qua re item admonemur, ne quid ex Pliniana artificum historia ad Nepotem revocemus. Denique, si eos N. H. locos inspicimus, in quibus Nepos laudatur, cum octo ad Geographica (II, 169; III, 4, 132; IV, 77; V, 4; VI, 5, 31, 199), quattuor ad Exempla (IX, 136; XXXIII, 145; XXXVI, 48, 59) revocari possint, quattuor in medio relinquantur (IX, 61; XIII, 104; XVI, 35; XXXV, 16) neque tamen ab illo de viris illustribus libro manaverint, vel inde veri simillimum est hunc de viris illustribus librum a Plinio in artificum historia non esse adhibitum.

Sed ne Varro quidem in ea fuit exquisitus auctor. Schreibero quidem Varronianam artis historiam adhibitam esse suspicanti (cf. supra, p. 4) cum queratur, quod lucubrationes suas accuratiore aliqua refutatione Brunnius dignas non habuerit (Rhein. Mus. XXXI, 219), morem geramus. Is igitur, postquam in oppugnando Urlichsio idque haud semper prospero successu (QR. 21, 22) ea, quae de artificum aetatibus referuntur, e Varronis vel Nepotis Annalibus non posse deprompta esse disseruit, sic pergit: «Nunc vero cum Urlichsio concludimus eundem Varronem, cui Pausiae pictoris aetas debeatur (p. 25) auctorem fuisse omnium aetatum apud Plinium relatarum» (p. 12). Eum autem locum evolventibus (p. 25), quo ex aetate Pausiae pictoris etiam reliquae aetates ad Varronem revocantur, haec recurrunt: «Varroni deberi quae XXI. libri § 4 de Pausia pictore proferuntur; cum autem de Pausia eadem in XXXV. libri § 125 sqq. exposita sint (nisi quod olympiadis mentio omissa sit), coniici potest etiam pictorum aetates itemque statuariorum a Varrone profectas esse, quippe cum omnes artificum aetates inter se comparatae atque colligatae sint». Sit quidem e Varrone profecta § 4 l. XXI., tamen Brunnium sequens (SB. 316) non puto prorsus eadem de Pausia in libro XXXV. proferri atque in libro XXI. Atque haec ipsa in altero loco omissa olympias ea est, quae dubitationem moveat, cum

Plinius in referendis ceteris artificum aetatibus diligens fuisse videatur. Sed ideo mihi omnino diversi fuisse videntur fontes, quibus in eis locis usus est, quod in uno Pausiae tabula stephaneplocos appellatur (XXI), in altero duo eius nomina, stephaneplocos et stephanopolis, a diversis auctoribus deprompta afferuntur (XXXV, 125) addita etiam alterius nominis origine: *quod coronas vendidando paupertatem sustentaverat.* Haec enim non modo in XXI. libro non inveniuntur, verum etiam cum aliis quibusdam a Pasitele profectis locis, in quibus variae auctorum adhibitorum sententiae proferuntur (XXXIV, 68; XXXV, 61, 101, 125, 133, 137), aptius congruunt, quam ut dubitari possit, quin ex eodem fonte manaverint. Denique fac Pausiae aetatem in XXXV. libro non esse omissam; legendum erit, ut in libro XXI.: post centesimam olympiada. Sed aetatem illam aliter indicari atque reliquas artificum aetates nemo non videt. Labefactata igitur Schreiberi argumentatione, quam de aetatibus instituit, cum reliquam descriptionem cum eis cohaerere ipse fateatur (24), sequitur, ut ne ipsa quidem e Varrone fluxerit.

Artificum indice a Varrone composito usum esse Plinium Oehmichenus nobis persuadere volens sic disserit: Graecum artificum indicem (p. 169) a Varrone esse exscriptum (203) exscriptumque a Plinio adhibitum. Sed primum quaeri potest, unde habeat Graecum illum indicem, quem Varro exscripsisse putandus sit. Hunc inde erui posse iudicat, quod in artificum enumeratione sex nomina, quorum primae litterae aspiratione sunt praeditae, inter alia eisdem litteris incipientia primum vel ultimum locum obtinent, prout in litterarum ordine eam, quae latinae respondet, antecedunt vel subsequuntur: v. g. Cresilas, Canachus, Chaereas, (C=K, Ch=X); Theorus, Theon, Tauriscus (Th=Θ, T=T). Inde Latino artificum indici litterarum ordine disposito librum quendam Graecum, quem «Griechisches Original» vocat, subesse colligit. Sed ambiguum illud «Original» progrediente oratione in «Lexicon» immutatur (SS. 179, 185, 203....), cui mutationi intercedendum mihi videtur.

Quo enim iure ex paucis illis nominibus perfectum protinus Lexicon, non fortasse nominum indices aliquos litterarum ordine dispositos praesto fuisse concluditur? Quid? quod ne indices quidem praesto fuisse his paucis nominibus efficitur, cum fieri potuerit, ut Graeca Plinius nomina undique deprompta Graecô literarum ordine disponeret, disposita in Latinum ordinem nominibus aspiratione praeditis in numero eorum, quae eadem littera inciperent, primum vel ultimum locum tribuens converteret, sic conversa exscriberet. Praeterea, cur Graecum illum artificum indicem non ipsum, sed intercedente Romano auctore exscriptum velit Oehmichenus, audiamus. Ex multis rationibus, quae ad illud demonstrandum afferri possint, unam dicit a se eligi, quae prorsus sufficiat: Latinis litteris, sed inverso ordine factam earum mulierum, quae pinxerunt (XXXV, 147), enumerationem (213 ff). Qua in re valde dolendum puto, quod suppetente argumentorum copia vir doctus non vidit fieri posse, ut, quam attulit, una ratio sibi quidem penitus, aliis non sufficeret. Nam ex duobus mediis nominibus, Irene et Calypso, quibus solis efficitur, ut omnino de Latino litterarum ordine cogitari possit, quid, quaeso, concludi potest? Quid? quod fortasse in ea enumeratione temporis, quo mulieres illae floruerunt, ratio habita est, cum Timarete, quae prima nominatur, Miconis filia fuerit, is autem ante XC. olympiada vixerit (XXXV, 59).

Caput II.

Ad eam partem transimus, in qua, quid primario illi fonti, quid ceteris debeatur, ostendendum est. Sed, antequam de singulis agamus, unum est praemittendum. Atque e catalogis, qui dicuntur, plura fluxisse arbitrati sunt Urlichsius (Skopas in Attika, 1854; Skopas Leben und Wirken, S. 53, Anm.; Chrest., S. 317, Anm.) et Briegerus (l. l. 49), ita tamen, ut alter de eis loqueretur, qui semper in locis, ubi collocata essent artis opera, praesto fuissent, alter tales

intellegeret, quos Vespasianus imperator conscribendos curasset (l. l. 50). Hanc Briegeri sententiam vix defendi posse haud male demonstrat Schreiberus (Rhein. Mus. XXXI, 219 ff.), cui assentitur Furtvaenglerus, (l.l. p. 8). Contra catalogos, qui semper ibi praesto fuissent, ubi servarentur res pretiosae, neuter argumenta ad fidem faciendam prorsus apta protulit. In qua sententiarum varietate haec mihi fere visa sunt. Constat fuisse qui templa custodirent atque omnium rerum in eis collocatarum curam haberent (XXXIV, 38; XXXVI, 30); e quibus cum unum videamus *patres* docere *argenteos esse clypeos, qui pro aereis* (aureis, Detlefsen) *per aliquot iam lustra adsignabantur* (XXXV, 14), etiam catalogos eis in promptu fuisse non sine causa suspicamur. Sed tales, si aderant, quaeritur utrum Plinius adhibuerit necne. Equidem cum aliis de causis, tum idcirco non adducor, ut catalogos a Plinio adhibitos esse existimem, quod indicibus non continentur; in quibus cum nonnulli relati sint auctores, qui quid contulerint incertum est, priusquam ad externos fontes confugiamus, exspectare consentaneum est, donec sit statutum, quid eis, qui indicantur, debeatur.

Iam nunc ad **Pasitelem** nos convertamus. De eius vita et opere cum iam fusius a viris doctis sit disputatum (cf. cum alios, tum Urlichsium, QR., 8; Briegerum, 34, sqq.), satis erit indicare, quid eis, quae in priore huius disputationis capite disseruimus, in cognitione quinque ab eo scriptorum voluminum proficiamus. Certum quidem est haec non solum eorum operum descriptionem complexa esse, quae fieri potuit, ut ipse vidisset, verum etiam eorum, quae in Graecorum scriptorum, de quibus egimus, commentariis erant tractata. Sed tamen haud pauca remanent, quae nondum satis sunt explicata. Nam, ut exempla afferam, ne nunc quidem vel quot genera nobilium operum illa volumina comprehenderint, vel quo ordine res descriptas tradiderint, vel quo tempore confecta sint, compertum habemus. Quidquid est, praeter eos locos, qui Varroni (Fabio Vestali), Deculoni, Apioni, ipsi Plinio, incertis auctoribus tribuendi

esse videntur, quin reliqua Pasiteli vindicentur, nihil obstare existimo. Quamquam operae pretium esse duco de eis, quae a Pasitele profecta esse nemo unquam iudicavit, pauca disserere.

Librorum ordinem in ea enumeratione sequi consentaneum videtur. In XXXIII. libro Urlichsius (QR. 9) omnia, quae de Mentore traduntur (§ 154), ad Varronem refert, cum quia hic scribit aeneum sibi esse huius caelatoris signum, tum quia in VII. N. H. libri § 127 eadem de toreutarum principe commemorata e Varrone manavisse putanda sunt. Sed verba *Varro se et aereum signum eius habuisse scribit* confecto iam libro addita esse videntur, quippe quae descriptionis perpetuitatem manifesto perturbent. Quae si omittuntur, laudatissimum caelatorem luculentissime excipiunt proximi ab eo in admiratione, hos ipsos qui in ea arte minus celebres fuerunt. Illud vero gravioris est momenti, quod non suo ponuntur loco. De aeneo enim signo cum agatur, Plinius autem diversa artificum opera diversis in libris tractet (XXXIV, 69 et XXXVI, 20; XXXIV, 77 et XXXV, 128; XXXIV, 75 et XXXV 58; etc., etc.) idque praesertim in caelatoribus XXXIII, 156 et XXXV, 84, 85, 90, 91), in XXXIV. libro hoc Mentoris signum fuit describendus. Denique, quod omnem dubitationem tollit, a Graecis auctoribus fluxerunt ea, quae de caelatoribus traduntur (XXXV, 54). Omnino autem fieri non potuit, ut illi de artificibus eius generis egissent neque eius, qui longe omnium fuit princeps in caelatura, mentionem ullam fecissent. Unde Pasitelis ipsius nomen aetatemque Plinius habuerit, videbimus infra (p. 28).

Omnes fere viri docti § 155 verba *exstant* . . . . . . *cupidines* Muciano tribuunt (cf. cum alios, tum Briegerum, p. 60; Urlichsium, p. 9; L. Brunnium: De Licinio Muciano, Lipsiae, 1870, p. 41). Vocibus enim exstant hodie significari putant totum hoc indicium ad periegetam aliquem, qui paulo ante ea opera, de quibus agitur, ipse vidisset, esse revocandum. Equidem etsi multum abest, ut hoc eorum

argumentum pro nihilo ducam, quid prohibuerit, quominus is locus, ubi opera illa servari dicebantur, in Pasitelis voluminibus indicatus a Plinio exscriberetur, non video.

Iam statuariorum indicem (XXXIV, 49—52) a Graecis auctoribus profectum esse supra demonstravimus (p. 10). Qui cum Plinio nisi per Pasitelem non sint cogniti, sequitur, ut ad hunc scriptorem revocandae sint aetates in indice illo relatae: unde apparet erravisse viros doctos, cum ex ipso Apollodoro manavisse aetates illas existimarent (cf. cum alios, tum Furtvaenglerum, p. 19, sqq).

Paulo difficilior est quaestio de iudiciis, quae de Phidiae, Polycleti, Myronis, Pythagorae, Lysippi artificiis proferuntur (54, 55, 58, 59, 65). Quae generatim dicuntur et inter se cohaerere et a Varrone, quippe qui nominetur (56), esse profecta. Sed iam Briegerus haec: *Phidias . . . . . iudicatur et Polycletus . . . . . . ut Phidias aperuisse* cum ceteris non necessario cohaerere monuit (l. l. p. 43) idque recte. Huius opinioni Furtvaenglerus assentitur (a. a. O. S. 69). Equidem ad hoc velim animum advertas: in eis Phidiae et Polycleti iudiciis, quae modo a ceteris seiunximus, voce toreutices ea omnia comprehendi, quae ad statuariam pertinent, quam artem memoratur quis aperuerit, quis consummaverit; in reliquis vero partes tantum eius artis describi, dico symmetriam et argutias, ut Plinii verbo utar, idque ita, ut, quem ad modum paulatim sint excultae, intellegatur (vgl. Furtwaengler, 69). Quae cum ita sese habere videam, adducor, ut existimem duo iudiciorum illorum genera esse distinguenda: unum Phidiae Polycletique merita in statuariam artem complectens, alterum describens, quosnam symetria argutiaeque progressus per Polycletum, Myronem, Pythagoram, Lysippum fecerint. Quidquid autem est, neganti Brunnio (SB. S. 314) e Varrone profecta esse iudicia illa, si verba *quadrata . . . . . . exemplum* (56) excipias, assentior. Fac enim ex uno eodemque fonte fluxisse illa verba et ea, quae de Myrone dicuntur, in symmetria diligentior et in arte numerosior, ei symmetriae, in qua Myron diligentior, Lysippus diligentissimus fuisse traditur, respondere deberet

ea symmetria, cuius Polycletum prope expertem fuisse iudicandum est, non illud quadrata et paene ad exemplum. Nam non est, cur putemus vocem quadratus, quae § 65 iterum legitur, etiam ad Varonem esse revocandam, cum nihil obstet, quominus et Varro Graecum illud τετράγωνος ex uno fonte, et Plinius ex altero, ambo fortasse ex eodem Pasitele in Latinum quadratus converterint. Accedit, quod in Lysippo vox symmetriae *Latinum nomen non habet* (XXXIV, 65). Quam vocem semel adhibitam (58) cum Plinius minus probaret atque in Latinum vocabulum convertere volens non inveniret, quae huic responderet, idque indicaret, Graecum librum exscripsisse putandus est. Ita enim haec verba, quae Oehmicheno maximis impedita difficultatibus videntur (S. 179), facile explicari possunt. Huic autem de Lysippo prolato iudicio cum iudicia de Myrone ét Pythagora enuntiata aptissime cohaereant, haec quoque a Graeco auctore, Pasitelem dico, deprompta esse existimandum est. Postremo cum pictorum illustrium iudicia, qualia multa sunt (XXXV, 60, 67, 76, 79, 98, 123, 128), cum eis, de quibus agitur, cognationem quandam habere manifestum sit, illa autem a Pasitele orta esse constet (cf. priorem huius disputationis partem), idem de eis, quae tractamus, est dicendum.

In libro XXXV., si Bambergensis codicis lectionem annae cum Prellero in Dianae, quam lectionem Detlefsenus in N. H. ab ipso edita recepit (94), mutaverimus, quin quae de Hercule averso traduntur Pasiteli tribuamus, nihil erit, quod obstet (vgl. Furtwaengler, S. 48). De operibus autem in Concordiae templo collocatis (XXXIV, 73, 77, 80, 89, 90; XXXV, 66, 131, 144) Furtvaenglerum sequor sententem (S. 43, Anm.) nihil impedire, quominus hoc delubrum, priusquam est a Tiberio renovatum, artis opera habuerit: quo fit, ut signorum tabularumve ibi collocatorum mentionem a Pasitele ortam esse negare non possimus.

In libro XXXVI. quae de Praxitele traduntur (20—22) Pasiteli, non Muciano (vgl. Furtwaengler, 53 f.) vindico. Quamquam talia a pluribus auctoribus narrata esse facile concedo.

Neque certi quidquam repperi, quod me moveret, ut quae de Mausoleo proferuntur (30—31) ab eo aliena esse ducerem.

Ne Servilianis quidem in hortis posita artis opera a Pasitele profecta esse negare possumus, cum iam initio seculi octavi post urbem conditam ibidem fuisse collocata suspicari liceat (Urlichs, QR. 19).

Varroni, praeter additamentum quoddam, de quo supra egimus (p. 23), nomen aetatemque Pasitelis (XXXIII, 156) tribuimus. Eidem aut fortasse **Fabio Vestali** (Urlichs, QR., 14) quae de picturae initiis (XXXV, 15—16) et de illustribus pictoribus, qui ante XC. olympiada fuerunt, traduntur (54—59) vindicamus. Nam cum omnia illa inter se cohaereant, vix erit quisquam, qui putet ipsum Plinium ea ex diversis auctoribus collegisse. De Romano fonte est cogitandum, cum ei Graeci scriptores, quos Plinius adhibuit, pictorum descriptionem nisi nonagesima olympiada non inceperint. Cur vero vel Varroni ipsi vel Fabio Vestali ea vindicemus, id causae est, quod ex aliis auctoribus Romanis, si quae de eis nota sunt respicimus (cf. Urlichsium, QR., pluribus locis), nullus de picturae initiis continua oratione egisse videtur (cf. Schreiberum, l. l. p. 12). Nam, ut Nepoti ea tribuam, id quod Furtvaenglero placuit (S. 15, ff.) adduci non possum. Is recte quidem iudicavit (S. 27) perpetuam picturae historiam § 15. inceptam tam arte § 56 continuari, ut de uno fragmento in duas partes diviso, non de diversis fontibus sit cogitandum. Quamobrem haud leviter stupeo, cum ad ea, quae inde colligit, animum adverto: Plinii verba mox docebimus non ad § 56, sed ad insequentem § 17 referenda esse. Profecto mirandum est illud virum doctum non vidisse pessimam inde eius sensus, quem habent vocabulum mox et futuri tempus, depravationem oriri. Hoc enim verbum, si vera esset Furtvaengleri sententia, idem atque nunc sonaret, futuri tempus praesentis vim obtineret, id quod neque per se dici potest et a Plinii usu prorsus alienum est (XXXIII, 117; XXXV, 111); neque minus

verba mox docebimus non modo inutilia essent, verum etiam totum orationis contextum turbarent. Praeterea vir doctus, postquam merito suspicatus est ab omni veri similitudine abhorrere Plinium praeter eum auctorem, quem in manibus habuisse credendus est, etiam Nepotem adiisse aut indicium illud occasione repertum narrationi inseruisse (S. 25), illud non vidit fieri potuisse, ut illa verba a Nepote sumpta iam eo fonte, quem Plinius exscripsit, continerentur. Quod ut existimem, me adducit eximius, quem hac explicatione obtinemus, sensus. Nam in §§ 15—16 de picturae initiis, de monochromatis picturis, de primis pictoribus, in §§ 54—57 de aetate picturae (cf. indicem rerum libri XXXV.) agere Plinius in animo habebat. Qui postquam ex eo fonte, quem adhibebat, Ecphantum, qui primus lineas colore tritae testae inlevit, ab eo diversum fuisse cognovit, quem Nepos Damarati comitem fuisse tradiderat, cum id verum esse iudicaret neque tamen probare posset, nisi ubi de picturae aetate ageret, ad § 55 verbis mox docebimus rem distulit. Deinde ad antiquitatem picturarum in Italia transiens (cf. indicem rerum huius libri), cum vidisset inde iam tum argumentum afferri posse ad probandum duo Ecphantos esse distinguendos, dico picturae absolutionem (56) in Italia ante urbem conditam, coniunctionem quandam § 16 cum insequente § 17 particula enim instituit. Accedit, quod, Furtvaenglerum si sequimur, talia nobis sunt admittenda, quae partim minime veri similia sunt, partim probari non possunt: Nepotem a Plinio emendari (l. l. 27), picturae historiam libris de viris illustribus esse insertam (l. l. 29), quod a vero abesse prorsus demonstravimus (p. 20 sq.). — Varronis esse § 154 ultimam partem inde a verbo *ante hanc aedem*, §§ 155—156 omnes fatentur.

In libro XXXVI. videntur §§ 9—14 ad Varronem esse referendae (vgl. Urlichs: Die Anfänge der griechischen Künstler, Programm, Würzburg 1871, S. 38; Furtwaengler S. 60; Brieger, S. 67 ff.). — Item § 17 iudicium de Agoracriti Venere prolatum Varronis est, non tamen cetera de hoc artifice tradita. Nam cum certum sit Antigonum de Agora-

crito egisse (vgl. Wilamowitz-Moellendorf, a. a. O. S. 10), de praestanti praestantissimi Phidiae discipuli signo Pasitelem aliquid exscripsisse, exscriptum Plinium in suum usum convertisse veri simile est. — Denique quae § 39 inde a verbis s i t a e f u e r e .... ad verba § 41 a u c t o r e s t ad Varronem revocanda esse manifestum est.

Apionis sunt quae XXXV. libri § 88 inde a verbo *Imagines* leguntur.

Ad **Plinium** ipsum pertinere videntur ea, quae uncis inclusimus: XXXIV, 57, *Myronem nobilitavit bucula celebratis versibus laudata [quando alieno plerique iudicio magis quam suo commendantur]; ibid., 55, Polycleti .... astragalizontes [sunt in imperatoris Titi atrio];* ibid. 84, [*Atque ex omnibus ..... disposita*]; XXXV, 83, *Apellis Protogenisque ..... delineatam tabulam [consumptam priore incendio Caesaris domus audio];* ibid. § 118; XXXVI, 27 [*Romae quidem ... dignam fama*]; ibid 37—38, [*similiter .... Rhodii*], (vgl. Urlichs, Chrest. Plin., S. 387).

Deculo prodit (XXXV, 70) Parrhasii Archigallum a Tiberio amatum in eius cubiculo fuisse inclusum.

Ad extremum, ne omisisse quidquam videamus, eos locos afferimus, qui ne coniectura quidem probabili, unde manaverint, scire potuimus. Primum quidem enumeranda sunt artis opera, quae in aedificiis post Pasitelem exstructis erant collocata. In eis autem operibus ea primum distinguenda videntur, quorum l o c i tantum, ubi servabantur, unde Plinius notitiam hauserit, ignoratur: velut templi P a c i s in quo erant Timanthis heros (XXXV, 74) et Protogenis Ialysus (ibid., 107), P h i l i p p i p o r t i c u s e t M a r t i s U l t o r i s templi, quorum altera Theori bellum Iliacum (ibid., 144), alterum Apellis Venerem (ibid., 99) et Praxitelis Cupidinem XXXVI, 22) continebat. — De aliis non modo eius loci, ubi ponebantur, verum etiam ipsius operis cognitionem e quo fonte Plinius sumpserit nescimus: velut Hegiae *Castoris et Pollucis* a n t e a e d e m I o v i s t o n a n t i s

(XXXIV, 78), Leocharis *Iovis tonantis* eodem loco (ibid., 79), Nicomachi *Scyllae* in templo Pacis (XXXV, 109), Zeuxidis *Helenae* in Philippi porticibus (ibid., 66), Antiphili *Liberi patris*, *Alexandri pueri*, *Hippolyti* eodem loco (ibid., 114), Niciae *Nemeae* in curia (ibid., 131), Zeuxidis *Musarum* Romae (ibid., 66), Apellis *Belli et Triumphi* in foro Augusti (ibid., 93), Cephisodoti *Latonae* in Palatini Apollinis templo (ib., 25) et Timothei *Dianae* eodem loco (ibid., 32), Praxitelis *Maenadum*, *Thyadum*, *Caryatidarum*, *Silenorum*, *Apollinis*, *Neptuni* (ibid., 23), Cephisodoti *Veneris* (ibid., 24), Scopae *duorum lampterum et canephori* (ibid., 25), Arcesilae *Centauri Nymphas gerentis* (ibid., 33), Eutychidis *Liberi patris* (34) in Asinii Pollionis monumentis.

Reliqua, quorum fontes ignoramus, haec sunt:

XXXIV, 62 : Lysippus fecit destringentem se [*quem Marcus Agrippa .... reposuerit*].
63 : Lysippus ..... orsus [*quam statuam .... remanentibus*].
82 : Strongulion ... appellant [*ob id ... illustravit*].
69 : Praxiteles .... fuere [*Veneremque .... parem*].
XXXV, 91 : Apellis Venus [*consenuit .... Dorothei manu*].
116—117; 119—120.
131 : Hyacinthus [*quem Caesar Augustus .... dicavit*].
122; 151—152; 154 inde usque ad vocem Gorgasi et 157.
XXXVI, 28—29.
33—34: ea, de quibus supra sermo non fuit.
36 : [*Ex honore .... lapide*].
38 : [*Agrippae Pantheum .... celebrata*].
41 : *Invenio et Canachum .... fecisse marmorea.*
42—43.

Haec habui, quae adhuc de Pliniana artificum historia dicerem. In qua cum plura remaneant investiganda, si res feret, inceptum opus persequar.


U. C. BERKELEY LIBRARIES
C045900723

